# Joanni Burcardo Menkenio
S. P. D.
T. S. Bayer

Qui has litteras tibi tradit, honeſtiſſimus adoleſcens, meus neceſſarius, quam veriſſime et amplissime tibi de Academia noſtra narrabit omnia. Is etiam ſecum adfert primum tomum commentariorum. In eo vides a me quoque aliqua eſſe inſerta, quorum ego cenſuram quam leniſſimam fore ſpero. Quoniam autem Cl. Volfius mathematica recenſere ſolet, haec autem mea historica ſunt et critica, de quibus tam parum recte iudicare ſolent mathematici, ut, ſi ego velim de mathematicis, oro te, ut Maſcovio mea tradas,

qui hanc levem censendi operam, meo
praesertim rogatu, facile in se suscipiet.
Accepi librum in Sinis editum octo foliis
oblongis, in quo libro litterae Brachma-
nicae, Tangutanae, Mogolenses constant,
ut amplius nihil desideres. Mittere
eas volui pro Actis vestris inserendas.
Sed restiti eo metu, quod nimis multas
plagulas non videbamini aeneis tabulis
incidendas curaturos esse. Vide igitur
quid facere me deceat. Quam primum
ab his perpetuis occupationibus ani-
mum recipiam, aliud quiddam non spernen-
dum elaboratum vobis dabo Actis inseren-
dum. Vale Petropoli x. Kal. Oct. A.
MDCCXXVIII.